

et flamma sit, eam propriæ indidit materiæ, partibus scilicet tot, quot ipsæ sunt, fluoris illius primævi, quem materiam corporum esse diximus omnium, densati et rarefacti tanta proportionum varietate, quantum in sidereis lucibus spectamus. Similia namque apud nos quoque fieri conspiciamus. Et quidem quotidie, et in una eademque flamma ac luce. Lecythus enim nostræ lucernæ ad quam hæc scribimus, dum ardet, ad imum unde flamma oritur, obscurior est, quia olei materiam proxime sorbet, et ea intingitur. Altius evecta flavior atque lucidior est. In summum dum assurgit, et inde in fumum abit, quia densatur ibi fumus veluti ad subsidium sibi accurrens stipatur, in rubedinem magis tendit. Sæpe ad focum hyeme sedentes, ex variis lignis aridioribus, minusue aridis, aut humectis magis, vidimus flammæ, cyaneas virides, flavescentes, rubentesque, alias pallidas, alias obscuriores. Id sibi quisque observare potest, ne rem fatigem, nimium manifestam. Id aut evenit, quia in his omnibus, non unus est fluor, sed multorum varie temperaturum est commistio, et unusquisque pro sua temperie, munus suum exsequitur. Simile sed purius est in sideribus. Quorum nullum varia flamma lucet, sed singula atque omnia propria lucent flamma, varie a Conditore, non quidem temperata, et cum aliis fluoribus permista, sed varie vel densata, vel rarefacta, tanta equidem rarefactionis, et condensationis diversitate, ac pulchritudine, ut nulla in re alia, et sapientia, et potentia eius sint magis admirandæ. Idque summa sui bonitate effecit, quia rerum universitati id expedire, et perfectionem addere cognovit. Ad Antarcticum vero polum lucentissimas omnium posuit. Quid vero in mentem venerit nostræ ætatis Astrologo insigni, Clavio, ut diceret, in Polo Antartico nullas esse stellas? Nisi forte intelligat, in ipso Poli puncto. Namque Americus Vespucius qui quatuor navigationes eo peregit scribit.

“Cælum decentissime exornatur sideribus quibusdam, qui sunt nobis incomperta. Quorum ego consignatissime memini, percensui fere XX tante claritudinis, ut apud nos Venus et Iuppiter.”

Deinde addit:

“Propterea pro comperto habui, maioris esse magnitudinis quam autement mortales. Et in primis Canopus tres conspiciamus, duos claros admodum, tertium obscurum, et dissimilem aliis.”

Et mox:

“Quæ vero ipsum (polum) ambiunt tria sunt, quæ figuram præ se ferunt trianguli orthogoni. Quorum id quod medio loco visitur, novem gradus et medium circumferentiæ habet. Et ubi hæc exoriuntur, a læva conspiciatur Canopus Albicans, eximiæ magnitudinis, quod ubi in medium cæli devenerit infrascriptam præsentat figuram.



His succedunt tria alia præclara sidera quorum medium, habet diametrum circumferentiæ duodecim graduum cum dimidio. Et in medio eorum alter Canopus cernitur albus. Hunc sequuntur sex alia conspicua sidera quæ claritate cunctis octavæ sphæræ sideribus præsent. Quorum medium in superficie firmamenti diametrum circumferentiæ habet graduum XXXII. Hæc astra concomitatur Canopus ingens, sed niger. Quæ omnia cernuntur in via lactea. Et ubi ad lineam pervenerint meridionalem, infrascriptam referunt figuram.

